

12609

49

EX COLLEGIO INSTITUTIONUM
IMPERIALIUM

1618, 24

DISPUTATIO ~~DE PUBLICIS JUDICIIS~~ ULTIMA

26

De

PUBLICIS
JUDICIIS.

Quam

Deo Duce & Auspice

*Permissu & suffragio Magnifici, Amplissimi ac Celeber-
rimi Jctorum Ordinis in florentissima Salanâ*

P R Æ S I D E

Viro Præstantissimo ut & Doctissimo,

DN. NICOLAO WASMUNDT,
Neo-Brandeburgensi Megapolitano.

*Ordinarii exercitii ergò Collegis suis Nobilissimis,
Præstantissimisq; ad placidam ventilationem &
disquisitionem exhibet*

JOHANNES WILLERUS
HAMBURGENSIS SAXO.

Ad diem XIV. Octobr. loco horisq; consuetis.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

Anno M. DC. XVIII,



151

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, GENE-
ris splendore, Prudentia, aequitate auctoritateq; eminentissimis
ac consultissimis

DN. VINCENTIO MOLLERO J. U. L. Seniori,
DN. HIERONYMO VOGLERO,

Consulibus Celeberrimæ Reipub. HAMBURGENSIS meritissimis digniss.

DN. VINCENTIO MOLLERO, J. U. D. Ejusdem Reipubl.
laudatissimæ Syndico dignissimo, nec non Illustrissimi ac Celsissimi
Principis ac Dn. Dn. FRIDERICI, Ducis Schleswici-Hol-
latiæ &c. Consiliario gravissimo meritissimo.

UT ET

Clarissimo, Consultissimo, Prudentissimoq; Viro,

DN. WILHELMO BEKENDORPIO J. U. L.

Affini suo omni honoris cultu prosequendo.

NEC NON

SPECTATISSIMO, INTEGERRIMOq;

VIRO

DN. JOHANNI WILLERO

Parenti suo omni observantia nitore aeternum
honorando.

Omnibus & singulis Dnn. Mecœnatibus, Patronis,
Favoribus & Promotoribus summâ animi
devotione æviternum suspiciendis, omniq;
honoris genere submissè prosequendis.

Hæc Exercitiorum juris primitias in animâ
gratissimi, nec non ulterioris favoris de-
merendi symbolum devotiss. & officioss.

O. D. C.

Johannes Willerus Resp.



Disputatio

De

PUBLICIS JUDICIIS.

THESIS I.

Divisionem nostram judiciorum, quâ distinguuntur ea in privata & publica, paucis sed admodum perspicuis verbis etiam inculcat & declarat *Cic. pro Cæcinnâ*, dum inquit: Omnia judicia aut dirimendarum controversiarum, aut puniendorum delictorum causâ comparata esse *Mynsing. in rubr. Inst. de pub. judic. n. 2.* Unde judiciorum quædam civilia, quædam pœnalia, & hæc vel publica vel privata dicuntur. De civilibus causis & privatis delictis hæcenus egit Justinianus. Nunc quædam de publicis judiciis subjicit, quorum ut ordinem nobis *in tit. fin. Inst.* ab Imperatore præscriptum sequamur, à generalioribus nimirum ad specialiora progrediendo, hoc est, de publicis judiciis videbimus in genere, & notationem eorum, definitionem rei & divisionem præmitteremus, postea verò ad eorundem species pervenimus, & ordine in qualibet specie primò ipsum crimen, deinde ejus pœnam compendiosè investigabimus, & tandem etiam præcipuas, ubicunq; id commodè fieri poterit, controversias interponemus.

II.

Judicia publica dicta sunt, quòd cuivis ex populo executio eorum plerumq; detur.

A 2

Cum



Cum semper verborum prior, rerum verò posterior sit
cognitio & interpretatio *l. 1. ff. de reb. cred. Oldendorp. class. 4.
act. 24. in pr.* nos etiam de etymologia & notatione publico-
rum judiciorum primo loco acturi, dicemus cum *Cujac. 3. observ.
33. Myns. ad rubr. hic n. 5. Imp. in §. 1. Inst. de pub. judic.* saltem
etymologiam vocabulorum proponere, hoc est definitionem
nominis, seu notationem solummodò, non verò definitio-
nem rei, quemadmodum sibi imaginantur viri aliàs magni
nominis *Anton. Gomez. tom. 3. variar. resolut. c. 1. n. 1. Clar. 5. sen-
tent. §. 1. in pr.* quòd vel exinde patet, quòd hìc non adfit reci-
procatio quaedam sive controvertibilitas, quæ tamen in quali-
bet definitione perfecta necessariò requiritur; qualis enim il-
la esset consequentia, si ita inferrem? accusatio in hac causa o-
mnibus concessa est. E. est publicum judicium? falsa foret ista
illatio, cum & populares actiones, quæ tamen publicæ non
sunt, cuius de populo permittantur *l. 1. & 4. ff. de popular. act.*
quærenda itaq; alia definitio eaq; perfectior, quæq; sit cum
suo definito convertibilis. Post notationem nominis defini-
mus igitur judicia publica, quòd sint, quæ ex legibus publico-
rum judiciorum latis de criminibus, veluti ex Julia, Cornelia,
Pompeia &c. descendunt, & plerumq; cuius è populo patent
*l. 1. ff. de pub. jud. l. 3. §. ult. ff. de prævaricat. Wesemb. ad pr. Inst. h.
t. n. 3. Duaren. lib. 1. disp. anniversar. cap. 37. Harp §. 1. Inst. h. t. n.
1. & 2. Hun. disp. 22. th. 1.* Quocirca publicorum judiciorum
vera ac propria differentia, quâ ab aliis distinguitur, lex est
quædam certa, adeò ut sine lege nullum sit judicium publicum
*d. l. 1. ff. de pub. judic. Dom. Arumens Jctus & Professor Celeber-
rimus, Præceptor meus omni observantiâ suspiciendus exerci-
tat. 26. th. 8. Harp. d. loco.* Unde multum nobis vacillare vi-
dentur *Gl. in c. fames verb. fures 6. q. 1. & Dd. Clar. 5. sent. §. 1.
n. 6. Vult. ad pr. tit. de obligat. quæ ex q. delict. nasc. n. 8.* quando
jure Canonico omnia crimina publica esse, sine ratione affir-
mant, quod enim si esset, cur tam strictè & anxie observaren-
tur à Dd. tam Canonistis ut vocant, quàm Legistis publicorum
& privatorum judiciorum differentia, cum & hodie etiam ju-
re Canonico actionum civilium & criminalium differentias
omninò sublatas esse nemo dixerit, quarum plerique Interpp.
tres

Harp. 581.

Q.

Harp. 578.

tres in instituendo, quatuor verò in prosequendo positas recensent, quæ omnes optimè videri poterunt apud *Vult. in explicat. Inst. de public. jud. n. 12. Decian. in tr. crim. lib. 5. c. 5.* Nos ne sicco pede eas planè præterire videamur, non quidem omnes, nec enim temporis & instituti ratio id ipsum permittit, sed præcipuas apponemus. I. In publicis judiciis, non item in privatis, necessaria est in crimen inscriptio, quâ accusator se ad eandem pœnam quam accusato intendarat, subeundam obligat, si fortasse in probatione defecerit *l. ult. ff. de privat. delict. l. 3. C. de his qui accus. non poss.* Verùm cum inscriptionis solemnitas in usu esse desierit [cujus rationem reddit *Geil. 2. de pac. pub. c. 9. n. 3. Godelman. in tr. de magis lib. 3. c. n. 7.*] saltem calumniæ juramentum præstandum est, *Bocer. clas. 5. d. 8. th. 23. Pet. Gregor. Tholosan. lib. 48. Syntagm. c. 7. n. 3. Menoch. 1. arbit. jud. quest. 20. n. 3.* II. In publicis judiciis tormenta & quæstiones adhibentur, in privatis verò nequaquam. III. In publicis requiruntur probationes luce meridianâ clariores *l. ult. C. de Test.* In privatis interdum qualiscunq; probatio sufficit, & non rarò accidit, ut in supplementum probationum juramentum deferatur, in iis verò publicis utpote criminalibus non item *Geil. 2. obs. 108. n. 10. Mynsing. 2. obs. 67. Treutl. vol. 1. disp. 21. th. 10. lit. a.* Quamvis igitur plures sint & passim multæ apud Interpp. præsertim verò *Vult. d. loco*, horum judiciorum discrepantiæ, eas tamen, ut ante diximus hac vice scienter præterimus, ignorandum tamen non est, quòd in multis quoque conveniant. In utrisq; enim requiritur libellus, in utrisq; fit contestatio litis, in utrisq; recipiuntur probationes, in utrisq; fertur sententia, in utrisq; permittitur etiam appellatio *l. 6. in fin. C. de Episc. & Cler. l. 14. 20. 29. C. de appellat.* Hodie tamen approbatâ germanorum consuetudine appellatio vix admittitur, ut constat *ex recess. Imp. August. de anno 1530. §. item Als jetzt etliche Zeit / ibi, so sehen vnd ordnen wir / das hinfürter in Peinlichen sachen keine appellation angenommen / sondern damit nach altem hergebrachtem Gebrauch gehalten werden sol. Vid. etiam Ord. Cam. Imp. p. 2. tit. 28. §. item nach dem. Geil. 1. obs. 1. num. 28. Mynsing. 4. obs. 41. Treutl. vol. 2. disp. 33. th. 3. lit. K. maximè verò jure Saxonico in causis Criminalibus in Peinlichen sachen die Leibstraff auff sich tragen!*

geni interdicta etiam & prohibita est appellatio Sandreche lib. 1. art. 12 vers. Wird ein Man. Et tantum de definitione publicorum judiciorum eorumq; distinctione, quâ potissimum à cæteris actionibus privatis & popularibus separantur, proximum nunc erit, ut de eorum divisione videamus in genere.

III.

Summa publicorum judiciorum divisio ab Imp. Just. & JCro Paulo hæc traditur: quòd aut sint capitalia, aut non capitalia; Aliorum igitur hîc varias divisiones & subdivisiones rejicimus.

Q. Per §. 2. Inst. de pub. jud. l. 2. ff. eod. Capitalia sunt, quæ delinquenti caput naturale vel civile adimunt. Per naturale caput pœnam sanguinis & per eam vitam h.e. animæ à corpore separationem *l. in omnibus ff. de prævaricat. l. fin. §. ult. C. de Judæis & calic. Cujac. 6. obs. 11. Gæd. in tr. de contrab. stip. c. 6. conclus. 12. n. 134* item ultimum supplicium *l. 21. 28. ff. de pœn.* quod vel gladio, securi, lapidatione, aquâ, suspendio, igne, membrorum confractioe infertur, intelligimus. Per caput civile mortem Civilem, hoc est libertatem & civitatem denotamus, quod maxima vel media capitis diminutione contingit, velut aquæ & ignis interdictione, damnatione in metallum & deportatione *l. 1. §. 8. & 9. l. 13. ff. de honor. poss. contra tab. l. 28. ff. de pœn. l. 63. §. 10 & fin. ff. pro socio l. 28. ff. de lib. & posth. l. 103. ubi Gæd. de V. S. Muscorn. de jurisdict. n. 88. Coras 3. miscell. 17. n. 13. Forst. 2. histor. c. 86. n. 20.* Dis. nonnulli, qui capitalem pœnam de morte naturali tantum intelligendam esse existimant, non etiam civili *per l. 9. ff. de extr. crim. l. 16. ff. ad L. Cornel. de sicar.* ad quas respondet *Matth. Steph. [pro ut alleg. ab Hæn. disp. 24. Inst. th. 1.] lib. de jurisdict. c. 9. n. 59 & seqq.*

Q. Num quoq; relegatione? ambigitur: nos verò negamus, nec eam capitalibus pœnis, sed non capitalibus, sive ea in perpetuum sit, sive ad tempus, adnumerandam esse existimamus *arg. l. 2. ff. de pœn. l. 2. ff. h. t. l. 13. ff. de honor. poss. l. 103. ff. de V. S. l. 7. §. hæc lex ff. de interd. & releg. Robert. 4. sent. 11. Marant. part. 2. d. 2. n. 5. Hun. disp. Inst. ult. th. 2.* Judicia publica non capitalia sunt, quibus punitio corporis vel exilium vel infamia cum

cum damno pecuniario reo infertur l. 2. ff. b. r. § 2. Inst. eod. l. 6.
in fin ff. de pœn. Ubi etiam observandum, quod omnia judicia
publica sive ea capitalia sint, sive non capitalia, infament l.
7. ff. b. r.

IV.

In utrisq; judiciis scilicet capitalibus & non ca-
pitalibus proceditur, aut per viam accusationis, aut
inquisitionis, aut, quæ jure Canonico addi solet, de-
nunciationis.

Accusatio, quæ homini Christiano licita Johan. 18. vers.
29. definitur jus solenni & pœnali judicio ulciscendi delicta. Et *Definitio.*
omnes accusare possunt, qui expressè non prohibentur. l. 8 ff. de
accusat. l. 43. §. 10. ff. de ritu nupt. quæ autem sint illæ personæ,
videri poterunt *sub tit. C. de his qui accus. non possunt*; utpote,
mulier, pupillus, minor, miles, infamis, criminofus, damnatus,
excommunicatus, pauperes, qui minus quàm 50. aureos in bo-
nis habent, *per text. express. in l. 10. ff. de accusat.* filius respectu
parentis, libertus respectu patroni &c. exceptis tamen duobus
casibus primò enim accusare prædictæ personæ non impe-
diuntur, si suam suorumq; injuriam, prosequantur, mortemve
propinquorum defendant *l. hi tamen 11. ff. de accusat.* Secundò,
si quæstio sit de atrocissimo crimine, videlicet læsæ Majestatis
*l. 8. ff. ad L. Jul. Majest. hæresis l. 11. C. de his qui accus. non pos-
sunt, sacrilegii, simoniæ, annonæ, de suspecto tutore, quæ o-
mnia, quàm ocyssimè vindicari Reipub. interest l. 2. & 13. ff.
de accusat. ubi vide Wesemb. in parat. n. 9.* Hinc igitur cooritur
quæstio; *An uxor accusare possit homicidam de morte mariti?*
Quod affirm. putamus *arg. l. 2. ff. de accusat. junct. l. 4. ff. de
testib. Bart. Bald. Cyn. Fab. Ang. & Alber. in d. l. 11. C. qui accus.
non poss. idemq; ad sponsam extendimus arg. l. 5. ff. de test. l. 5.
C. de bon. quæ lib. Decian. in tr. crim. p. 1. lib. 3. c. 7. n. 10. Num
quoq; maritum de adulterio, cum & tunc injuriam suam persequi
censeatur, accusare possit, non absurdè quis dubitaret? Nos id
negam. Et quamvis regulariter quidem suam persequi inju-
riam, non vetetur mulier, illud tamen in accusatione adulte-
rii adversus maritum locum non habet, cum id jure Justinian.
expressè*

Q. Harp. 585.

Q.
Harp. 645.

expresse excipiatur, l. 1. C. de adulter. Gæd. ad l. 101. ff. de V. S.
Quamvis contrarium sancitum reperiatur jure Canonico &
constitutione criminali Carol. artic. 120. cujus verba hæc sunt:
Item, Daß es auch gleicher Weise in dem Fall so ein Eheweib ih-
rem Mann oder die Person / damit er Ehebruch vollenbracht hat /
beklagen wil / gehalten werden soll. Harp. S. 4. Inst. h. t. n. 14. Et
Q. tantum de accusatione. Inquisitio est investigatio delicti à Ma-
gistratu ex officio instituta eamq; juris remedium ordinarium,
tam de jure divino Proverb. 20. v. 8. 26. quam humano, tam
civili Nov. 128. c. 21. in pr. l. 10. C. de Episc. & Cleric. Fach. 1. con-
trov. 34. (contra Clar. H. Hartm. Robert. Cuj.) quam Canonico
c. 24. de Accusat. c. 31. de Simon. contra eundem Clarum regula-
riter permissam esse haud indubitanter statuimus. Imò hodie-
nis nostri Imperatoris Constitutionibus, non tantum regula-
riter eam permissam, sed cuilibet Magistratui inquirendi ne-
cessitatem impositam esse patet ex Const. Carol. art. 214. ubi
ita scribitur, D; / wenn der Beschaidigte nicht peinlich klagen wolt /
so solle demnach die Obrigkeit den Thäter nichts desto weniger von
Amptswege rechtfertigē / vñ nach Gelegenheit der Person / vñ Ueber-
fahung straffen lassen: itaq; cum punire imponatur, inquirere
includitur, qui enim vult consequens, etiam antecedens, sine
quo ad id pervenire non possum, velle intelligitur l. 2. ff. de juris-
dict. Multa hinc quidem disputari & late examinari possent, va-
riæ videlicet inquisitionum divisiones, nonnulli enim eam du-
plicem faciunt, juris & facti, alii generalem & specialem, cui
alii tertiam quoq; speciem addunt, generalem videlicet & spe-
cialem simul. Tractari etiam posset de validitate inquisitio-
num, quæ requirantur ut valeat processus, & evitetur nullitas
inquisitionis, si instituti nostri ratio hoc ipsum permetteret;
saltem hoc præterire non possum, quòd inter novem ea, quæ
necessariò à Dd. ad inquisitionem requiruntur, non minimum
& postremum illud putem, ut videlicet crimen magnum sit &
inquisitione dignum, de levibus enim ac privatis delictis nullo
modo inquiri posse contra Clar. S. f. q. 17. circa fin. Gom. 3. va-
riar. resolut. 1. n. 10. cum Maranta p. 6. dist. 2. n. 104. existimo arg.
l. 6. ff. de accus. c. inquisitionis extr. eod. Unde oritur quæstio illa
Q. intricatissima, num inquisitio contra usurarium quoq; ab ullo
judice

judice fieri possit criminaliter? Nos Treutleri sententiam, quæ extat *vol. 2. disp. 31. th. 2. lit. G.* amplectimur, eamq; hac vice defendemus. Varias etiam hoc loco producant quæstiones, imprimis verò, contra quem hæc actio competat, & inter alias, num contra eum qui de eodem delicto, de quo inquiritur, antea fuit absolutus vel condemnatus? quod nos negandum putamus. Sed de eo non leviter dubitatur: an etiam is, qui in foro pœnitentia absolutus vel condemnatus est, adhuc inquiri possit & accusari? quod affirmandum asserimus per text. *in c. felicis. §. per hoc ff. de pœn. Covar. 2. resolut. c. 10. Geil. 2. de p. p. 11. n. 26.* Et tantùm de inquisitione: Restat ut paucis etiam de *Denunciatione*, quàm duobus præcedentibus procedenti modis de jure Canonico addendam existimat Treutler. *vol. 2. disp. 31. th. 1. arg. rubr. de accusat. inquisitione & denunciatione. c. 31. 32. de Simon.* Est autem denunciatio criminis commissi delatio, ab eo, qui ad hoc munus publicè constitutus est, qui in jure nostro saltuarius, Irenarcha, Stationarius, hodiè fiscalis appellatur, *l. 7. C. de accusat. l. 6. ibiq; Gothofred. ff. de exhibit. & custod. reor. l. unic. C. de Irenarchis. Thom. Lindeman. exercit. Justin. disp. ult. th. 2.* Verùm hïc in utramq; partem à Politicis magni nominis disquiritur; Utrum etiam Magistratui licitum & in benè constituta Repub. consultum, denique Christianæ charitati conveniens sit, tales delatores & Irenarchas ponere? Affirm. *Lips. 4. pol. 10. Alberic. Gentil. de Legat. c. 14. & varia ejusmodi delationum exempla refert Althus. c. 25. pol. p. 340.* Sic Joseph Jacobo detulit delicta fratrum *Genes. 37. vers. 2.* nepos Pauli defert conjugationem Judæorum *2. Sam. 16.* & vide omninò textum in *l. 1. ad Timoth. 5. vers. 20.* Modò tamen ea fiat justitiæ & publicæ tranquillitatis ergò & nullum misceatur mendacium, quod enim si fiat, Vespasiani exemplum imitandum putamus, qui magna cum laude istiusmodi delatores flagris per arenam amphiteatri cæsos abigere solebat, & quod plus est, Antonius Pius tales delatores ad eò averfatus est, ut si nihil probarent eorum, quæ deferebant, capitali pœna affici jufferit; atq; sic delatione ob scopum impium accipienda sunt dicta in *Psalms. 101. Psalm. 140. vers. 12. Proverb. 20. vers. 19.* & ea quæ scribit *Tacitus 4. annal. Ceriolanus & alii contrariæ*

Q.

Q.

Definitia.

Q.

B

senten-

sententiæ propugnatores. Visis igitur hæcenus iis, quæ in genere de publicis judiciis proponere constituimus, jam ad singulas eorundem species deveniemus, quarum ab Imp. Justin. *in tit. fin. Inst. de public. judic.* tredecim enumerantur, quibus cum Harp. & alias duas adhuc addimus, prævaricationem nimirum *ex l. 3. ff. de prævaricat.* & hæresin ex constitutione Theodosiana *l. 4. C. de Hæret. & Manich.* Quibus an ex nova Carol. V. *artic. 157. & seqq.* Criminale furti iudicium annumerandum? num verò adhuc privatum æstimandum sit, sunt nonnulli qui dubitant, nos posterius cum Bocer. *class. 3. disp. 1. tb. 88. Hun. disp. 22. Inst. tb. 5. Hænon. disp. 24. tb. 1. Harp. in pr. Inst. de obligat. quæ ex delict. nasc. n. 30. & seqq.* indubitanter asserimus, de singulis paucissimis secundum ordinem Instit. videbimus.

V.

Primum locum inter publica delicta, cum immanitate tum gravitate obtinet crimen læsæ Majestatis, quod ut vulgò definiunt, in summum Principem, Imperiique statum propriè committitur.

§. 3. *Inst. h. t. Wesemb. in parat. hic. n. 4. Treutl. vol. 2. disp. 32. tb. 1. Sixtin. in tr. de Reg. c. 22. n. 4.* Hic imprimis à quibus & adversus quem committatur, videndum est. Et i. quidem eum hujus criminis propriè reum dicimus, qui contra Imp. vel Rempubl. Rom. quibuscunque modis aliquid dolosè molitur. *Mynsing. ad §. 3. Inst. n. 1. 5. 6. h. t. Bocer. de Regal. c. 3.* & sic inferior contra superiorem; unde elegans & admodum controversa quæstio decidi potest; An Rex quoque Princeps, Comes aut Baro aliquis, vasallus Imperatoris ei tamen haud subjectus Majestatis crimen hostiliter aliquid adversus eum moliendo committat? quod nos omninò negandum putamus, ex eo principio, quod solus subditus crimen Majestatis committere dicatur *c. pastoralis. §. rursus ubi gl. tit. de sent. & jud. in clement.* ubi etiam traditur quod Imp. Romanus in exterum Regem vasallum suum ratione personæ illius regis, nullam superioritatem habeat, quam quoque hanc nostram sententiam probant.

infiniti

infiniti Dd. *Clar. Gig. Bocer. Decian. & alii*. Quam variis autem modis idipsum crimen committatur, apud Interpp. & in ipso *tit. ff. ad L. Jul. Majest.* videre licet, utpote si quis privatos carceres habeat, qui monetam cudunt, quamvis ea maxime proba sit, & multis aliis modis, de quibus apud Harp. d. loco. Imò etiam ii hujus criminis rei dicuntur, qui saltem voluntatem lædendi Majestatem habuerunt, *l. quisquis. C. h. t. Aurea Bull. c. 24.* cum & aliàs in maleficiis voluntas spectari soleat, non exitus *l. 15. ff. ad L. Cornel. de sicar.* quid verò de iis habendum sit, qui cum hujus criminis rei sunt, neq; dum id possunt probare revelant, num & hi quoq; eadem pœna plectendi veniant, non inter omnes convenit; Nos verò respond. esse quidem eos quodammodo reos hujus criminis *Borch. de feud. c. 8. n. 107. Mynsing. 5. obs. 40. Treutl. vol. 2. disp. 32. th. 1. lit. F.* sed non eadem, ordinariâ nimirum pœnâ, sed arbitrariâ & extraordinariâ afficiendos esse *arg. l. Metrodorum. 40. ff. de pœnis. c. felices. §. illud autem de pœnis in 6. Alciat. in l. facere 119. de V. S. Clar. 5. sent. §. fin. q. 87. n. 2. aliq; ibidem allegati, Diss. Gomez. tom. 3. resolut. c. 2. n. 8. Bocer. in tr. de crim. læsæ Majestatis. c. 2. n. 37. & seqq.* Committitur autem crimen de quo nobis sermo est, adversus Majestatem, quod etiam patet ex inscriptione *tit. ff. & C. ad L. Jul. Majest.* Et *Majestatem* hic non divinam sed humanam intelligimus: quoties enim absolutè in jure mentio fit de crimine læsæ Majestatis, crimen denotatur Majestatis humanæ *l. 4. §. in mortem. C. de heretic.* eò quod crimen Majestatis divinæ propriè sacrilegium appelletur, *l. 1. in pr. ff. ad L. Jul. Maj.* ut sunt blasphemia, hæresis, apostasia, incantatio &c. *l. 1. 24. C. de Apost.* de quibus nihil in præsentiarum, quarum pœnas & persecutiones alii hîc fusè perstringunt. *Damboud. in prax. rer. crim. c. 61. Bocer. class. 3. disp. 39. Menoch. arb. cas. 375. lib. 2. cent. 4.* Majestatem humanam dico, & per eam intelligo non duplicem, multò minùs quadruplicem sed simplicem, solam videlicet Majestatem Imperatoriam, postquam enim Pop. Rom. omne jus suum sive imperium & potestatem lege Regia in Imp. transtulit, *§. sed & quod Principi Instit. de J. N. G. & C.* rectè eam nunc Imperatoriam, Principalem & Regiam



appellamus. Ex quo fundamento, cum contra Majestatem & quidem solam Imperatoriam committi hoc crimen probaverimus, multæ quæ hîc tractantur ab interpretib. quæst. decidi

Harp. 604
Q. possunt. Quærun nonnulli an hoc crimen committi queat contra Pontificem Romanum ab Imp. nostro? Resp. contrarium verius esse, dum enim illud contra solam Majestatem Imp. committi dicimus, Pontificiam Tyrannidem excludimus. Et quamvis nonnulli *Canonistæ Gig. q. 2. Decian. lib. 7. c. 8. n. 1.* hoc ipsum probare conentur *arg. c. cuncta per mundum. q. 3. c. 1. tit. de consuet. in extravag. c. venerabilem extr. de Elect. c. 2. de sentent. & re jud. in 6.* ridiculo tamen & frustraneo conatu id faciunt *arg. l. 10. ff. de testib. & l. 2. C. eod. estq;* præterea etiam magnum absurdum committi crimen læsæ Majestatis contra eum, cui nulla est Majestas: si enim habet Papa Majestatem, quærimus unde eam habeat? num à Deo? nullo modo, contrarium etenim patet ex *Luc. c. 22. v. 25. Rom. 13. 1. Pet. 5.* num ab hominibus? nec illud probare possunt, fabulosam,

Q. n. illam Constantini donationem, quæ tamen de jure, ut acutè disputat Hotoman. nequaquam subsistere potuisset, ante hac ab aliis sæpissimè refutatam, nos quoq; cum omni careat fundamento, rejicimus & ipsis text. *in l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact. l. 3. C. de quadr. præscript. Nov. 105. c. 2. in fin.* opponimus, è quib. textibus eleganter contra Papam argumentari possumus, de quibus plura in ipsa collatione Deo volente. Atq; sic adhuc enorme hoc crimen dicimus, quod contra summum Principem, Imperiiq; statum committitur, hinc non tantùm contra Imp. ipsum, sed ejus quoq; Consiliarios (adhibitâ tamen distinctione communi, quam adhibet *Wesemb. conf. 57. n. 6. Roland. à Vall. conf. 15. n. 13. Hackelm. disp. 24. th. 15.* quamvis maximè ea displiceat *Harprechtto §. 3. n. 15. Inst. h. t. & Electores per verb. in definit. posita, statumque imperii, quæ tam in l. 5. C. b. t. quàm etiam aurea Bulla Carol. IV. fundamenta demonstrabimus) committi cum *Clar. Damhoud. Bocer. & aliis* affirmare nulli ambigimus. Sed vehemens hîc & valdè inter Interpretes controversa oritur quæstio: Utrum ne etiam in alios Principes, Duces, Comites, Civitates, qui vel superiorem re-*

Q. *Harp. 605*
cogno-

cognoscunt, vel non cognoscunt, propriè committi possit:
Nonnulli quidem distinguunt, nos verò cum *Harp.* contra
multos amplo numero ab eo allegatos, præsertim *Boc. Schrad.*
Clar. Hænon. indistinctè negativam defendere tentabimus *arg.*
l. ult. in fin. ff. de abolit. l. 5. C. b. t. & simil. Et tantùm quoq; de ipso
crimine horrendo, cujus horrendam jam quoq; pœnam vide-
bimus. Eaq; triplex est 1. mors naturalis §. 3. *Inst. de pub. judic.*
l. 5. C. b. t. Wesemb. in parat. n. 7. Et non semper eodem modo
vita privantur rei interdum enim gladio, *aur. Bull. tit. Von der*
Erzbischoff Segen in Gegenwertigkeit des Keyfers. Interdum
igni Damboud. in pr. crim. c. 62. n. 6. sed usitata hodiè in qua-
tuor partes dissectio, *Constit. Carol. artic. 124.* & inveterata
Germanorum consuetudine concepta est: Verba Constitutio-
nis hæc sunt: *Welcher mit böshafftiger Verrhäterey mißhandelt*
soß der Bemonheit nach in Viertheilung zum Tod gestrafft werden
Bocer. class. 3. disp. 11. tb. 39. Geil. 2. de pac. pub. 20. n. 7. 2. Secunda
pœna hujus delicti est publicatio seu confiscatio bonorum.
l. ult. vers. hereditas. ff. b. t. l. 5. 6. 7. C. eod. l. 1. C. de petit. hered.
l. 67. §. ult. ff. de legat. 2. ubi quæritur, an & liberi omnibus
hisce bonis paternis ita priventur, ut quartam suam sive legiti-
mam detrahere nequeant? Quod nos affirmandum putamus
per *d. l. 5. C. b. tit. arg. l. 1. §. si impubere. 21. in fin. ff. de collat.*
Harp. ad §. 3. Inst. b. t. n. 86. filiabus tamen legitimam permis-
sam esse statuimus per text. in *l. 5. C. b. t. & aur. Bull. tit. Von*
der Bischoff Segen &c. Bonorum tam præsentium, quàm futu-
rorum *arg. l. ult. ff. b. t. l. ult. C. de bon. proscript. Dis. Gig. q.*
7. & plur. ab eo allegat. allodialium, nec non etiam feudali-
um, quæ non publicantur, sed ad dominos eorum revertuntur, *ord.*
Cam. p. 2. t. 9. §. 2. vers. Auch die Lehen! Geil. 2. de pac. pub. c. 14.
Fachin. 7. controvers. 20. Bocer. in tract. de crim. Majest. c. 3. n.
46. de regal. c. 3. n. 112. & seqq. Sed hîc mirum in modum ab
interpp. agitata quæstio nobis quoq; ventilanda occurrit: An
committens crimen læsæ Majestatis commisso delicto ipso ju-
re amittat rerum suarum dominium, an verò condemnatoria-
demum sententia sequuta? Et quanquam priori sententiæ
plurimi Interpp. valdè præclari calculum suum adjiciant, &

Pœna cri-
minis læsæ
Majest.

Q

Q

Q

Harp. 625



speciosa suæ opinionis fundamenta adducant; nos nihilominus tamen contrarium, condemnatoriam nempe sententiam requiri, longè verius esse, cum *Antonio Fabro* 7. *conjectura*. 20. *Fachineo*. 9. *controv.* 35. *Geil.* 2. *de pac. pub. c.* 15. *Bocer. in tract. de crimin. læsæ majest c.* 3. n. 21. quorum sententiam sequitur & approbat *Harp.* §. 3. *Inst. n.* 68. *per text. in l.* 15. ff. *qui & à quibus manumiss.* l. 22. 46. §. 6. ff. *de jur. fisci.* 3. Tertia pœna est defuncti post obitum memoriæ damnatio l. 67. §. ult. ff. *de leg. 2. l.* 6. §. ult. *C. h. t. l.* 31. §. ult. ff. *de donat. Aur. Bull. de tit. de benedic. Episc.* damnari autem defuncti memoria dicitur, cum nomini ejus perpetua infamiæ nota inuritur, ut perpetua de eo infamia conservetur [quod quibus fiat solennitatibus alii præsertim *Rævard.* 3. *conject.* 16. abunde declarant] *Fach.* 9. *controv.* 34. Hinc filios quoque semper paterna comitatur infamia, ut ad nullos honores admittantur, & tales sint, ut ipsis perpetuâ egestate laborantibus mors solatium præbeat, vita v. supplicium, ut habent verba text. *in l.* 5. *C. h. t. & aur. Bull. de Episc. benediction.* Id quod obtinet non tantum in iis, qui post delictum perpetratum nati sunt, quasi scilicet hi saltem, nati ex sanguine infecto & reprobato dici possunt, sed in iis quoque qui ante nati sunt, idque rationem & generalitatem legis cum non minùs in his quoque sceleris exempla metuantur, ut mortem sui Parentis ulciscantur. Idem quoque in nepotibus & pronepotibus statuendum per l. 5. *C. h. t. junct. l.* 84. 220. §. *sed & Papirius ff. de V. S. existimamus*, quòd quamvis perquam durum sit, interim tamen lex ita scripta est, ut in simili loquitur *Ulp. in l.* 12. ff. *qui & à quib. man.* quamvis hodiè illæ pœnæ ratione filiorum non observentur, ut testatur *Clar. 5. sent. §. læsæ majest. n.* 10. *Treut. vol. 2. disp.* 32. *th.* 1. *in fin.*

VI,

Secundum Publici judicii crimen cæteris omnibus foedius & detestabilius est adulterium, quod definitur vel alieni thori commaculatio: vel coitus illicitus cum aliena conjuge factus,

l. 6. §. 1.

*l. 6. §. 1. l. 34. ff. b. t. Wesemb. in parat. n. 4. Beust. de ma-
trim. c. 17. Bocer. claff. 3. diff. 12. th. 1.* Nil foedius esse hoc cri-
mine, satis innuit *Apost. 1. Corinth. 9. vers. 19.* dum inquit: Cæ-
tera enim crimina extra corpus committuntur, hoc verò so-
lum ipsum corpus contaminat, & semper alia sibi, ut *Myns. ait*
§. 4. Inst. de pub. jud. n. 1. adnexa vitia habet; Unde etiam de
reliquis publicis criminibus transigere licet, de adulterio verò
non item *l. transigere. 18. C. de transact.* Sed utrum ne & homi-
cidio gravius? quod aff. *cum I. Aircer. in tr. suo de tripliei ho-
micid. in proleg. n. 15. & seqq.* quamvis contrarium demonstra-
re conetur *Matth. Gribald. Mapha. in tr. de homic. c. 4.* Com-
mittit v. ut patet ex definitione, hoc delictum vel maritus con-
tra uxorem, & vice versa, uxor contra maritum, ille quando
se cum nupta solum commiscet, de jure civili, non verò solu-
ta: struprum enim ibi, non adulterium committitur *l. 6. §. 1. l.*
43. ff. b. t. l. 1. 22. 29. C. eod. arg. l. 101. ubi Gæd. de V. S. n. 10.
Wesemb. in parat. de adult. n. 8. Diff. Menoch. 2. arbitr. Cas. 420.
n. 105. & seqq. hæc verò indistinctè, sive cum soluto sive ligato
concumbat. De jure igitur civili adulterium tantum ex foemi-
na, non ex mare æstimatur: Unde mas etsi solutus sit, adulte-
rium tamen committit, si cum alterius uxore rem habet, & vi-
cissim mas non vacuus rem habens cum foemina vacua adulte-
rium non committit; Ratio est, quia is qui in alterius uxore
consuescit, in alienam familiam liberos propagat, eamq; con-
taminat; at qui cum soluta rem habet, alienam familiam vel
thorum non commaculat: Deinde etiam, quod major castitas
requiratur in uxore quàm viro *l. 2. §. 1. C. de his qui ven. atat. l.*
*si qua illustris. C. ad SC. Orf. propter sobolis certitudinem & par-
tus suppositionem. Quamvis jus Canonicum can. 32. q. 4. c. 25.*
q. 5. quod hac in parte recedit à jure civili, ab omnibus ferè
Theologis approbetur, vid. *Chemnit. p. 2. lacor. comm. de lege*
Deip. 204. Illud præterea ex definitione rectè concludimus: in
alterius etiam sponsam tam de præsentis, quàm futuro, com-
mitti adulterium, cum & spes matrimonii violari prohibeatur,
l. 13. §. Div. ff. b. t. facit etiam l. 7. C. de adult. junct. l. 11. §. 7. ff. eod.
idq; etiã legib. Mosaicis approbatum legimus *Deut. 22. v. 23. & seq.*
Bocer.

Q. Harp. d. l. p. 639.

Q. Harp. p. 641

Q. Harp. 642

Ung. d. l. p. 644.

Q.

Boc. cl. 3. d. 12. th. 5. M. Stephani cens. 4. ass. 92. Bronchorst. 4. 81. non attendentes dissentientium Covar. de spons. p. 1. c. 1. n. 8. Clar. 5. sent. §. adult. n. 8. arenosa fundamenta, quibus communem illam juris theoreticam opponimus, quod sponsa pro uxore habeatur, quæ fundatur in l. 74. ff. de jur. dot. l. 71. §. 3. ff. de condit. & demonstrat. l. 4. ff. de fund. dot al. l. 15. §. 24. ff. de injur. l. 5. C. de bon. qua lib. l. 13. §. 1. ff. de adult. d. c. 22. Deut. vers. 23. Matth. 1. vers. 20. ubi desponsata Maria uxor Josephi vocatur, sic etiam sponsos sacrae literæ generos appellant Gen. 19. vers. 14. potentia enim actui proxima pro actu habetur l. 8. §. 2. ff. de manumiss. proximè cingendus pro jam cincto reputetur l. pen. ff. de test. milit. res destinata in locum aliquem perinde habetur ac si esset in loco l. 17. §. fin. l. seq. ff. de act. empt.

Paena hu-
jus delicti.

Sed multum controversæ est quæstionis, An cum meretrice nupta adulterium quoq; committatur? Nos affirmativè concludendum putamus per text. express. in l. 13. §. 2. h. t. sussequens enim matrimonium omnia præcedentia vitia purgat & facit, ut habeatur uxor, quasi nunquam vulgaris fuisset Geil. 2. obs. 141. Trent. vol. 2. d. 32. th. 2. lit. b. Vaud. 2. quest. 21. Bronch. 4. ass. 80. Hænon. disp. 24. th. 3. lit. B. Transitum nunc ad Pœnam delicti facimus, quam non unam & eandem sed variam variis in locis reis impositam legimus; Gens enim Saxonica, ut refert Schönborn. 1. pol. 6. adeò detestata est stupra & adulteria, ut stupratas & adulteras strangulatas cremaverint & mæchos supra rogos suspenderit, donec morerentur, testium suspensione eos puniebat Diogenes, Tiraquell. l. com. 13. n. 12. & sic delinquentes eo membro puniendos putavit, quo delinquent, cujus etiam exemplum habemus in l. fugitivi. 5. C. de serv. fugitiv. narium mutilatione Ægypti, Diod. sic. lib. 2. c. 3. propter formæ abusum, quem puniendi modum approbat quoq; Imp. Leo Philosophus in Nov. 32. & hanc pœnam quoq; de adulterio Helena sumpsisse Menelaum refert Maro. Nos v. adulteros capitali pœna, & quidem gladio tam de jure divino Deut. 22. v. 22. Ezech. 18. Dan. 13. Levit. 20. c. 10. quàm L. Julia, ab Imp. Augusto lata §. 4. Instit. de public. jud. l. 1. ff. de extraord. cognit. l. 18. C. de transact. Daumboud. in prax. crim. c. 90. n. 66. Menoch. Gæd.

Q.

Paul. Boreri 2.
De legibus supra se manum
impunita in eis §. delegatis in
non in hoc dicitur deus
in hoc cum videremur
loquitur deus in eis
deus pœna post

Refert ab Aug. v. Cyp. in l. pœna, sed Coraf.
In pœna pœna pœna pœna
pœna pœna pœna pœna
pœna pœna pœna pœna
pœna pœna pœna pœna
pœna pœna pœna pœna



Coras. Dn. Præceptor Arumeus Diss. Cujac. Hotoman. Fachin. Treutl. Harp. tùm etiam hodierna *Constitutione crim. Carol. artic. 119.* puniendos existimamus. Hanc l. Julia sancitam in adulteros capitalem pœnam *Justin.* quoq; in masculis approbavit, in mulieribus autem [si non in gratiam uxoris *Theodoræ Bod. 1. de Republ. 3.* forsan ideò, quod adulterium in viris gravius videatur, cum in mulieribus magis ardeat stimulus carnis, & suapte naturâ in libidinem procliviores, ut notat *Tiraq. de connub. l. 9. n. 90.* & propter imbecillitatem sexus non ita possint resistere affectibus, ut mares *c. 32. q. 7. c. 22. q. 6.*] mitigavit *auth. sed hodiè. C. ad L. Julia. de adult. Nov. 134. c. 10.* easque virgis cædi & in monasterium trudi & inter aliàs etiam pœnas dote privari constituit. *Nov. 117. c. 8. vers. si de adult. & seqq.* Cujus occasione hîc non impertinenter quæri posset: num etiam propter osculum dote sua mulier privari debeat? Cujus decisio iterum ex alia quæstione admodùm controversa sumenda est: Utrum ne osculum impudicum præbeat legitimam & sufficientem adulterii commissi præsumptionem? nos utrumque fortiter contra *Accurs. & Clar. cum Harp. Hænon. & Arum. negabimus.* Adulterium enim veraciter probari, liquidisque rerum documentis demonstrari debet *Nov. 117. c. 8. arg. l. non hoc C. unde leg.* Quod de jure nostro civili aliter fieri non potest, quàm per testes, qui deponant, quod uxorem cum adultero in ipsa turpitudine, vel, ut *Pompon. ait,* rebus Veneris complexu venereo junctos conspexerint, per *text. express. in l. 23. ff. de adult.* Unde & illa quæstio resolvi poterit, si nudus cum nuda deprehendatur, sufficiens sit ad arguendum adulterium conjectura? quod nos negam. imò nec sufficere, si testes maximè deponant se mulierem cum viro in eodem thoro cubantem, vel etiam dum mulier januam clausam teneret & adolescentem adesse negaret, scilicet tamen ipsum in Camera & quidem caligis dissolutis dispektoratum vidisse, existimamus. *Stupri pœna,* quod cum soluta [virgine nimirum vel vidua, non *Pœna stupri* etiam meretrice, talem enim coitum illicitum quidem & venereum appellamus, non verò stuprum, præsertim cum ordinariam non in hoc stupri pœnam sibi locum vindicare pateat

Q. *Harp. 650*

Q. *Harp. 648*

Q. *Harp. p. 647*

Q. *P. B. 900*

C

exl.

ex l. 13. §. sed & ff. de adult.) supra committi diximus, si id quidem volente vel parùm reluctante virgine perpetratum sit, proponitur ea in sapius d. §. 4. Instit. de public. jud. quòd sit publicatio dimidiæ partis bouorum in honestioribus, vel corporis coërcitionem in humilioribus, sin autè stuprum violentum fuerit, quod per vim, vel nondum etiam viripotenti inferatur durior & quidam capitalis vitiatori pœna infligitur. l. 1. in fin. ff. de extraord. crimin. De jure verò divino, Canonico & Saxonico stuprator tenetur corruptam virginem vel in uxorem ducere vel decenter dotare Exod. 22. Deut. 22. cap. 1. & 2. extr. de adult. Constit. Elect. p. 4. const. 7. Non ineptè denique hîc quærunt: an vidua post mortem mariti luxuriosè vivens sese stupro contaminans æquè dotem amittat, ac si vivo marito adulterium commisisset, cum per stuprum etiam anima defuncti, meritò contristari dicitur in Nov. 22. c. 43. vers. nos igitur. & per hoc magna injuria etiam mortuo inferatur? nos eo non attento negativæ subscribimus.

Harp. p. 558.

Q.

VII.

Tertia species publicorum judiciorum jam sequitur, nempe homicidium, quod definimus in genere, quòd sit violenta hominis ab homine facta exanimatio.

Wesembec. in parat. ad l. Cornel. ff. de sicar. n. 4. per l. 11. Scelsus. ff. L. Aquil. Hominem hîc intelligimus cujuscunq; ille sit conditionis, ætatis vel sexus l. 1. §. 2. ff. h. t. tam nobiles, quàm ignobiles, servos quàm liberos l. 11. §. 1. & 2. ff. de sicar. tam infantes quàm adultos l. pen. C. h. t. tam foeminas quàm masculos, eas enim hominis appellatione contineri, expressè innuit text. in l. 152. ff. de V. S. & in jure etiam divino hoc aperitissimè constitutum legimus Gen. 3. v. 2. Matth. 16. v. 13. Quapropter dissentientes scurras in maternos cineres mingere, eos blasphemos & semetipsos quoq; hominis appellatione indignos facere in ipsa disputationis ~~per~~ luculenter demonstrabimus. Sed quæratur hîc & acerrimè inter Dd. disputatur, num foetus adhuc in utero existens veniat quoq; appellatione hominis & per

Harp. 581.

Harp. p. 587, Q.

per consequens ordinaria homicidii pœna dignus sit, qui fœ-
tum humanum nondum natum necavit, partumvè abegit, vel
in causa fuit, ut mulier concepti partus abortum faceret? Nos
utrumq; adhibita tamen communi Dd. distinctione inter par-
tum animatum & inanimatum, affirmabimus, & dictam in-
terpp. hætenus communiter receptam distinctionem tam in
jure divino & Canonico, quàm civili & nova *Carol. V. Constit.
crim. artic. 131. & 133.* fundatam esse cum *Cuj. Bot. Gomez. Sich.
Harp.* contra *Dis. Menoch. & Philip. Matth.* aliterq; *Dis. The-
saurum in decis. suis* ostendemus. Porrò homicidium dividi so-
let in verum & quasi verum, iterum in spontaneum & casuale,
spontaneum seu voluntarium in dolosum & coactum *Wes. in
par. hic. Alt. Vult. & alii.* Homicidium verum, voluntarium &
dolosum appello, quod dolo malo & animo deliberato ad hoc
ipsum, ut homo occidatur, committitur *l. 1. in pr. §. 1. 3. l. 7. 14. ff. de
suar. dolo dico*, quia ubi animus occidendi abest, lex de sicariis
locum habere non potest *l. 1. §. Divus. ff. h. t. l. 7. ff. eod. Fach. 1. con-
tror. 36.* Unde igitur infallibiliter sequitur, ut is, qui mandavit
alicui, ut alterum vulneraret, ne v. occideret, expressè inhibue-
rit & mandatarius nihilominus fines mandati excefferit, nul-
lo modo ordinaria L. Cornel. pœna plectendus censeatur,
prout nobiscum statuit *Fachin. Arum. Hackelman. Hænon.
Bronch. & alii* quàm plur. contra *Clar. Gomez. Menoch. Treutl.
& c.* De eo autem non dubitatur, quin ille, qui alteri manda-
vit, ut hunc vel illum planè occideret, ut verus sicarius tenea-
tur *l. non solum. 11. §. si mand. ff. de injur. l. 1. §. 12. ff. de vi & vi
armat.* nihil enim interest, an quis occidat, an per alium do-
lo mortis causam præbeat *l. 1. §. 1. l. 15. ff. hoc. tit.* Qua ratio-
ne & illud firmiter concludimus, cum quoque, qui quocun-
que modo alteri in homicidio patrandò opem & consilium
tulerit & sic mortis causam præbuerit, pro homicida
haberi, sed an illa verba *ope, consilio*, conjunctim vel dis-
junctim intelligenda & qui non auxilium sed consilium
tantùm homicidæ præbuerit ultimo supplicio dignus
censeatur? non planè inter omnes expeditum est, nos

Divisio ho-
miciidii.

Harp. 700

Q. Har. 708.

Q. Har. 715.

C. 2.

eum

eum cum homicida principali, morte afficiendum putamus, attamen sub hac limitatione si absq; consilio nunquam id facturus fuisset. Sed quid de iis habendum, qui liberos suos exponunt, An non L. Corneliae poena tenentur, dum & ii causam mortis liberis praebent, imò dum illis alimenta detrahunt, necare videntur l. 4. ff. de lib. agnosc. Resp. ex vulgari & trita illa juris theoricæ: Voluntas & propositum delicta distinguit l. 53. ff. de furt. l. 16. § 8. l. 11. §. pen. ff. de pœn. l. 2. §. 2. ff. vi bon. raptor. l. 1. §. 3. l. 3. §. 2. l. 15. l. 14. ff. ad l. Cornel. de sicar. l. 5. C. de injur. l. 79. 108. ff. de Reg. jur. Si igitur in viis publicis infantes exponunt, dolum non praesumi, sed potius misericordiae gratiâ à prætereuntibus conciliandæ factum & propterea illos extraordinariè puniri debere statuimus; sin verò in locum solitarium, ut sylvas, & alia loca periculosa eos abjiciant id animo occidendi fecisse & idcirco ordinariè eos plectendos esse existimamus, Bocer. class. 3. disp. 14. th. 15. ord. crim. Carol. artic. 132. Cæterum in definitione homicidii voluntarii & dolosi loco formæ posuimus *dolum malum*, unde manifestò apparet infantes, furiosos, dormientes ab hoc crimine ejusque poena prorsus absolvi l. 12. ff. h. tit. Farinac. lib. 3. prax. crimin. quest. 92. n. 54. & 114. item 93. n. 1. Sed quaeritur hîc: numquid furiosus ob delictum ante furorem perpetratum in ipso furore puniri possit? quod affirmandum existimo per rationes & fundamenta, quæ adducit Hun. in tract. de jurisd. pol. 1. c. 5. q. 3.

Q. Quamvis contrariam sententiam, [cujus defensores extant Geil. 206. 110. n. 21. Menoch. Clar. Gomez. Tiraq.] Jason. in l. furiosum. C. qui testam. fac. poss. n. 8. receptiorem & communem pronunciet. Ab utraque sentent. recedit Fachin. 9. controu. 5. quem sequitur Harpr. ad §. 5. Instit. de pub. jud. n. 245. quos tamen arg. l. 15. ff. ad municip. l. 1. & 4. ff. ad Turpill. statim refellimus. De senibus quoq; cum & plerumque infantibus comparari soleant, secund. Proverbium: Bis pueri senes, & sic etiam illi dolo carere videantur, magna oritur disputatio; Q. An propterea eis mitior poena debeat irrogari. Et quidem Menoch. in arb. quest. cas. 319. Wesembec. Gomez. Geil. ex causa senilis ætatis semper poenam mitigandam statuunt; Nos verò propter

propter senilem ætatem, nisi cum ea aliæ concurrant circumstantiæ, veluti simplicitas & iudicii imbecillitas pœnam non mitigari debere verius esse putamus, *Hun. in d. tr. de iurisd. c. 5. q. 6.* ubi contraria quoq; eleganter refutat. Diximus autem furiosos absolvi, cujus occasione adjungimus sequentes hæc quæstiones. 1. Cùm in *l. 1. §. furiosus. ff. de acquir. vel amitt. poss. c. majores. §. sed adhuc. X. de baptismo.* dormientes furiosis similes esse dicantur, quæritur, quid itaque dicendum, si dormiens delinquat, num puniendus & qua pœna plectendus sit, sæpè enim audimus, ut matres filiolum in lectum assumant ac lactent, ac fortè fortuna somno correptæ infantulum opprimant, reperiuntur & aliqui hominum, qui interdum vel insania vel alia morbi genere statis lunæ temporibus agitantur, ita ut de nocte inscii & nolentes surgant & ambulent, sequerent ipsos interdum vel alios interficiant, quæritur quid juris? gravis est quæstio, nos in ipsa collatione rem distinctione expediemus cum *Menoch. de arb. jud. quest. cas. 325. vers. 327.* & quem novissimè secutus *Quirin. Kubach. in quest. suis politic. jur. cent. 1. dec. 8. q. 5. & 6. 2. Q.* An corrivalis corrivalem, nimio amoris æstu impulsus interimens, cùm nimius amor furoris quædam videatur species, licet non absolvi, mitius tamen puniri debeat? Et nos affirmatione concludendum putamus cum *Farinac. lib. 3. q. 98. c. 13. n. 78. & seqq. Menoch. 2. arb. cas. 328. Clar. 5. sent. §. fin. q. 16. n. 10. Tiraq. in tr. de pœn. Oldrad. consil. 210. n. 4.* si enim verum est, ut revera est, quod ait *Propert. 2. eleg. sine sensu vivere amantes, imò secundum vulgare & commune dicterium, amantes amentes esse, quod etiam docet experientia, quis enim eos, qui quasi verres spumantes, amor quod nimius efficere potest, tauri petulantes fœtore hircino aërem inficiantes (ut loquitur *Fab. ad pr. tit. Inst. si quadr. paup. fec. Mynsing. ibid. n. 5.*) villas circumeunt & fores mulierum sæpè effringunt omnes insaniæ numeros absolvisse negabit? quis eos ordinariâ pœnâ plectendos pronuntiabit. Qui verò tali morbo laborant, & ad hosce bestiales fervores sese facile pertrahi sinunt, iis medelam præscribit *Apost. 1. Corint. 7. vers. 2.* illud si displiceat, quia fortassis aliis amasia sua potius pellex: etiam sui corporis copiam fa-*

Q.

Q.
Hun. 789

ciat, res agat secundum illud Ovidii:

Otia si tollas, perière Cupidinis arcus.

fese à colloquio ipsius abstineat, ut suadet *Imp. Just. in Nov. 74. c. 4. in pr.* pietatem colat, ut Deo placeat, quod si faciat, ligamentis earum sese facile existimet & infinita mala effugiet, secundum *Ecclesiast. Salomon. c. 7. v. 26. & 27.* hæc tamen remedia sive medicamenta sibi applicare nolentem eaq; superciliosè contemnentem, si non à libidine, maximè cum sciat se alterius consortium pati non posse, desistit, nos à doloso, & voluntario homicidio ejusq; pœna non liberamus, eumq; si postea aliquem interficiat, destinata voluntate & dolo malo homicidium perpetratum præsumimus. Ebrios & iracundos q; attinet, cum eos quoq; nemo mentis compotes esse dicat, à tanto sed non à toto liberandos statuimus; & *Geil. 2. obs. 110.* distinctionem approbavimus.

Q. *Coactum seu necessarium homicidium est,* quod non dolo, sed ob vitæ, corporis, honoris vel aliâ legitimam & in legib. approbatam causam committitur. *Wes. in par. n. 21.* & hanc defensionem omnes leges, omniaq; jura permittunt *l. 3. ff. de just. & jur. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Ideoq; stricto gladio advenientem licitè quis repellere, ipsi resistere,

Q. atq; ita sibi in tempore cuivis contra quemvis prospicere licet *l. 3. ibi ad se venientem. l. 4. C. h. t.* nec quisquam primum adversarii ictum expectare tenetur *P. D. D. artic. 140. in fin.* Ist auch mit seiner Gegenwehr/ bis er geschlagen wird/ zu warten nicht schuldig. *Geil. lib. 1. de pac. pub. c. 16. n. 21. & 2. obs. 110. n. 13. Matth. Steph. cent. 1. q. 8. Bronch. 2. misc. 51.* Neq; etiam insultatus ab aliquo fugere tenetur, ut statuit *Obr. in tr. de neceß. defens. c. 10. n. 10. & seqq. Bronch. 2. misc. 5. Tiraq. de nobil. c. 10. n. 68. & seqq. Diss. Hæn. disp. 1. Inst. th. 13.* Nec etiam nos ipsos solummodò, sed etiam alios sive

Q. sanguine & affinitate junctos, sive prorsus extraneos, modò id absq; proprio vitæ periculo fieri possit, omni jure tam naturali, quod cognationem quandam inter omnes constituit *l. 3. ff. de just. & jur.* & maximè hominis hominem beneficio affici interfit *l. 7. ff. de serv. export.* (unde *D. Ambr.* qui non repellit, inquit, à socio injuriam si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit, & *Senec.* si justus es, non solùm, non nocbis, sed & nocentes prohibe.

habe.

Harp. 779.

P. B. p. 7.

Paul. B. p. 3.

Harp. p. 7.

hibebis) & divino, quo unusquisq; non minus proximum, quam
semetipsum diligere jubetur *Lev. 19. v. 18. Matth. 22. v. 39. Salom.*
in Prov. c. 24. v. 11. cuius rei quoq; exemplum & praxin habemus
Exod. 2. v. 12. quod factum repetitur quoq; in novo Test. & ap-
probatur ab ipso Spiritu S. *Actor. 7. v. 29.* quam Canonico, *Can.*
non inferenda & seqq. 23. q. 3. & civili *l. 1. §. occisorum. ff. de Scto*
Silan. l. 6. §. pen. ff. de re milit. l. 50. l. 119. ff. de R. J. in quo dis. Damh.
in prax. crim. art. 350. vers. item So ciner zu Rettung eines andern
Leib/Leben/oder Gut jemand erschlegt &c. de necessitate defendere,
eosq; à periculo, si possumus, liberare tenemur *Vasq. lib. 1. contro-*
vers. 9. n. 5. Obr. de neceß. defens. c. 7. n. 37. & seqq. Philip. Matth. ad
l. 50. ff. de R. J. n. 9. quamvis nonnulli contrarium statuunt, inter
quos est *Bart.* (cujus tamen sententiam usq; adeò improbat
Bald. ut eum propterea in inferno cruciari scripserit) & qui eum
sequuntur *Vaud. M. Stephani, Decius, Ayres & c.* Hactenus de
corporis tam proprii, quam alieni legitima defensione: Ad
honoris defensionem quod attinet, *Bart. Bald. Clar. &* alii qui-
dem putant, quòd conviciis lacessitus licitè injuriantè penitus
occidere possit. Quæ sententia, quamvis disputando non diffi-
culter obtineri quodammodò posse videatur, nos tamen ab ea
recedimus, nec injuriatum à toto interim, tamen à tanto, ex-
cusari cum *Obr. Bronch. Rob. Tirag. &* aliis statuimus, & quam-
vis fama & vita pari passu in legib. ambulari & æquiparari di-
cantur, tamen in hoc differunt, quod fama & honor restitui
possit, vita a. semel ablata nunquam possit. Idcirco etiã pro-
vocatus ad duellum provocanti comparere neq; potest, neque
debet, monomachiam n. tam de jure civili, quam Canonico
prohibitam esse defendemus: si tamen quis contumeliosè pro-
vocetur & justà incensus irâ, in certamen cum provocante des-
cenderit, eumq; interfecerit, extraordinariæ poenæ eum subji-
ciendam dicimus. *Casuale homicidium* est, quod propter interfi-
cientis scopu & voluntatè cõmittitur *l. 1. §. C. h. t.* Sed in disqui-
sitione vocatur illud, si quis fortè velit offendere Titium inimicu
suum, què bene novit, & in persona non erravit, casu occidat
Seiũ proximè ibi stantè vel pacis cõponendæ casu intervenien-
tè, an talis ordinariã vel extraorinariã poenã afficiendus? Nos
contra

Q

Harp. p. 74

Q

Harp. 747. Bot
& duell. c. 8

Casuale hor-
miciidum

Harp. 763. 76

Quasi homicidium.

Pœna homicidii.

Veneficium

contra *Gomez. 3. var. 205. 3 n. 35.* mitiori & quidem extra ordinem coercendum cum *Jason. Menoch. 2. arb. cas. 324. n. 9.* putamus. Et tantum de vero homicidio; variisque ejus speciebus diximus; Quasi homicidium verò committitur, si quis hominem circumcidit vel castravit, aut seipsum castrandum præbuit *l. 3. §. 4. l. 4. §. 2. l. 5. §. 11. ff. b. t. arg. Nov. 142. in pr.* vel saltem hominis occidendi causa cum telo ambulaverit, licet effectus non subsequutus fuerit *l. 1. in pr. §. Divus. l. 3. §. item is. 11. b. t. l. 7. C. eod.* Cui tamen huic videlicet posteriori, totius orbis consuetudine derogatum est, eamque consuetudinem *ord. crim. Carol. V. artic. 178.* confirmatam legimus, ut etiamsi quis aliquem occidendi animo, non tantum cum telo ambulaverit, sed etiam vulneraverit, morte non subsequutâ ordinariâ *L. Corneliae* pœna non puniatur. Haftenus de ipso delicto, progredimur ad pœnam: Est itaque *Pœna homicidii* voluntarii atque dolosi, hodiè tam de jure divino, quam jure civili Justinéo novo in omnibus personis indistinctè capitalis, ut patet ex *Genes. c. 9. vers. 6. n. 35. vers. 16. & seq. Deut. 10. vers. 17. c. 16. vers. 19. & c. §. item Lex Cornel. Inst. de pub. judic. l. si quis 8. C. b. tit. Clar. Damboud. c. 67. n. 21.* æquum enim est, inquit *Plato 9. de LL. Arist. 1. Rhetor. 2.* ut quod quis alteri fecit, idem quoque patiatur & eundem vitæ finem sortiatur, hinc etiam dicitur in *l. 3. C. de Episc. & Cler.* semper quod fecit homicidam expectare debere; idcirco optandum esset, ut quilibet nostrum commune illud, sed in natura & sacris literis fundatam quotidie secum in recenti circumferet memoria dixerim; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris *Tob. 4. vers. 16. Matth. 7. vers. 12.* Post homicidium, utpote primum *L. Corneliae* caput absolutum tractat *Imp. Justin. de Veneficio*, altero ejusdem capituli: committitur autem veneficium, cum quis artibus odiosis, tam venenis quam susurris magicis, homines interfecerit *§. 5. Inst. b. t. l. 3. ff. eod.* vel in perniciem alterius & interitum mala medicamenta confecerit vel vendiderit *l. 1. §. 1. d. l. 3. ff. b. tit.* quibus vulgò annumerant omnes magos, ariolos, divinatores, chaldæos, necromanticos, sagas *l. 4. 5. 6. C. de malefic. item* eos, qui gravidæ mulieri abortionis poculum præbent, vel fœminam

minam sive sponsam alterius sterilem efficiunt l. 38. §. qui. ff.
de pœn. P. N. D. artic. 133. Pœna hujus delicti etiã capitalis ^{Pœna veno}
est [cũ plus sit hominem veneno extinguere, quã ferro vel ^{ficii.}
gladio interimere arg. l. 1. C. de malefic.] ut patet ex d. §. 5. Inst.
h. t. & hodiẽ etiã qui artibus magicis hominis vitã nocue-
runt, igne cremuntur P. N. D. artic. 109. So jemand den Leuten
durch Zauberey Schaden oder Nachtheil zufüget / soll man ihn straf-
fen vom Leben zum Tod / vnd soll solche Straffe mit dem Feuer thun.
Qui verò sine magicis artibus veneno hominem interfecerint,
gladio truncantur P. N. D. artic. 130. Treutl. vol. 2. disp. 32. th.
7. lit. D. & latè Godelm. in tr. de venefic. lib. 1. c. 7. n. 6. Qui v.
magicis artibus usi fuerint, nemini autem nocuerint, pro con-
ditione personæ aliter plectuntur, ut habent verba: Gemelster ^{AB}
peinlichen Halsgerichts Ordnung artic. 109. ibi: Wo aber jemand
Zauberey gebraucht / vnd damit niemand Schaden gethan hat / soll
sonst gestrafft werden / nach Gelegenheit der Sachen. Coroni-
dis loco etiã hæc duas scitu jucundas quæst. apponam: 1. ^{Quæst. 2.}
Numquid lamia vel sagæ scopis vel earum baculis insidentes
per aërem volitare possint? Quod nos cum M. Steph. cent. 4. q.
96. Dn. Præceptore Arumæo disp. 20. Inst. th. 16. negandum pu-
tamus. 2. Num proba ut loquuntur aquæ frigida, qua in exa-
minatione maleficarum in nonnullis locis utuntur iudices,
commodè & probabiliter defendi possit? quod ipsum Neg.
Damboud. Godelm. Heig. Borch. & Ampliß. Dn. Arum. quic-
quid etiã contrarium afferant Rickius Wilhelm. Adolphus
Scribon.

VIII.

Quartum crimen publicum jam sequitur, quod
pertractat Imp. Just. in §. 6. Inst. h. t. illudq; vocat
asperrimum, videlicet Parricidium, quod committi-
tur, si quis parentis aut filii [alteriusvè agnati vel co-
gnati] sive clam, sive palàm fata præparaverit.

d. §. 6. Inst. de pub. jud. l. unic. C. de his qui par. unde mani-
festè decidi posse videtur ea quæstio, quam hîc movere solent
Interpp. de filio, qui ut patrem necaret, venenum emit, quo ta-

D

men

Q.
Frey. 788.

men uti postea non potuit, quā pœna mulctandus videatur? eum ordinariam legis P. animadversionem non effugere, per l. 1. in fin. ff. h. tit. & d. l. unic. C. qui parent. Cui consentit lex Mosaica, quā, qui percussit saltem & matrem supplicio adficitur, imò qui maledixit eis, morte morietur Exod. 21. vers. 15. Dicitur parricidium quasi parenticidium teste Covar. & parricidæ quasi parentem cædentes, interim tamen probè notandum l. Pompon. non tantum eos, qui patrem vel matrem, sed etiam avum, fratrem, patruum, patrualem, uxorem, sponsam, privignum occiderunt, teneri, ut patet ex l. 1. 2. 3. 4. Instit. h. t. quamvis diversimodè puniantur, ut infra videbimus, imò avus nepotem interficiens in hanc legem committit, etsi enim olim pater filium suum trucidare poterat jure patriæ potestatis l. 11. ff. de lib. & posthum. l. ult. C. de patr. potestat. attamen illud jus vitæ & necis ipsi ademptum esse expressè innuit l. 3. C. de patr. potestat. l. 5. ff. h. tit. Circa pœnam gravissimi hujus delicti variant Interpp. Res tamen clara erit, si tempora, quid olim, quid jam in usu sit, exactè observaverimus; & quidem L. Pompon. de parricid. eadem pœna fuit, quæ L. Cornel. de sicar. l. 1. ff. h. tit. Deinde verò hæc pœna in desuetudinem abiit, & aliud ab Imperatore Constantino supplicii genus constitutum fuit in l. unic. C. de his qui par. vel lib. Et hæc quidem pœna locum habet in iis, qui parentes vel liberos, aut qui eorum appellatione continentur, interfecerint. Cæterum qui fratrem & alios quoscunque cognatos vel affines necaverint non horribili hoc supplicio sed capitis pœna plectuntur l. penult. §. 1. ff. h. tit. §. 6. Instit. h. tit. Hic ergò in controversiam venit, si socer, vitricus vel privignus occidatur, num posterius, quod in l. penult. §. 1. ff. h. tit. proponitur, vel acerrimum illud supplicium morte majorum introductum locum habeat? Nos capitis pœnam sibi locum vindicare asserimus. Sed hæc quidem pœnæ olim obtinebant, nostris verò moribus, parentum, liberorum, conjugum & fratrum interfectores rotâ confringi membra solent P. S. D. artic. 131. Postremo etiam anceps & gravis admodum illa quæstio hic moveri solet: Num

Pœna parricidii.

Hay. 794.

num

Num

Num filius proditorem patriæ eumque parentem suum impu-
nè interficere queat? Nos cum *Hænon. disp. 9. polit. thes. 55.*
lit. A. & Bodin. libr. 5. de Republ. cap. 2. negativam an dispu-
tando obtinere possimus, tentabimus, proinde nefas esse
filio violare patrem, etiamsi omnibus suppliciis fuerit dignif-
simus ex *Novell. 12. c. 2.* inferimus, & an infringat nostram
sententiam, dissentientium fundamenta in ipsa collatione
videbimus.

IX.

Haftenus de illis criminibus, quæ circa personas,
nunc de iis, quæ circa res committuntur, videamus;
quorum primum est 5. in ordine publ. jud. videlicet
crimen falsi, quod non incommodè ab Hieronym.
Trentler. & Helf. Ulric. Hunnio definitur, veri per
fraudem facta immutatio.

l. 20. C. ad L. Cornel. de fals. l. 1. in pr. l. 23. ff. eod. Nov.
73. in pr. Committitur autem crimen falsi, consensu, verbis,
scriptis, abusu & facto; de singulis pauca. *Consensu*, si
eandem rem duobus diversis contractibus quis vendidit, vel
rem alienam scienter distraxit [quod tamen fallit in tribus
casibus, quos brevitati studens ad collationem reservo] Ille
verò, qui rem alienam sciens pignori dat, & propriam esse
asseverat, non hoc sed stellionatus crimen incurrit *l. 3. S.*
ult. ff. de stellionat. Hotoman. 5. obs. 15. Diss. Cujac. 13. obs. 21.
Verbis, si testis falsum testimonium sciens dixit, imò & ille
falsi postulatur, qui interrogatus in iudicio de re aliqua
veritatem subticuit, seque nihil scire affirmavit *c. 1. extr. de*
crimin. fals. Covar. Menoch. Clar. Eum tamen qui pecuniam
veri testimonii causa accepit, & verum etiam testimonium
dixit, non ut falsarium, sed arbitrio iudicis puniendum cum
Menoch. c. 310. n. 12. contra Mysing. Harp. Vant. de nullitat.
statuimus. Quid verò de eo teste, qui in privato iudicio ca-
pitali falsum deposuit contra accusatum innocentem dice-
mus? Eum capitali poena teneri affirmare non erubesci-
mus. *Scriptis*; si falsa fuerint confecta instrumenta

Q.

*Crimen falsi
si quot modis
committitur.*

Consensu.

Harp. 201.

Harp. 203.

Verbis.

Hotoman.

p. 305.

Harp. p. 806.

Scriptis.

aut dolosè in alterius fraudem læsa, corrupta, mutata, l. 1. 2.

Harp. 808
Q. 16. 23. 25. ff. h. t. Q. An Notarius falsum instrumentum conficiens, falsi pœnam ordinariam incurrat, si instrumentum illud propter quasdam solennitates omissas invalidum? Neg.

Q. l. 4. §. pen. ff. de re jud. Menoch. 2. arb. cas. 306. n. 18. sed magis dubitatur & quæritur; An si Notarius super contractu per se invalido falsum confecerit instrumentum, ut falsarius plecti debeat? quod nos negam. arg. 36. §. ult. ff. de pignor. act. Geil.

Abusu.

1. obs. 100. n. 7. *Abusu*, si quis alienis insignibus utitur, vel Comitis, Nobilis seu Doctoris titulum sibi arrogat l. 27. §. ult. ff. h. t. vel nomen suum in alterius perniciem mutat l. 1. C. de mut. nom. Is verò qui malitiosè & fraudulenter abutitur falsis

Facto.

mensuris & ulnis &c. falsum quidem committit, interim tamen mitiùs puniri jubetur l. pen. §. 1. ff. h. t. *Facto*, si quis nummos adulteravit, tinxerit, vel quoquo modo falsam monetam percusserit l. 8. 19. ff. h. tit. atque tales olim ordinariæ L. Corneliæ pœnæ subiciebantur l. 8. 9. ff. h. t. Hodiè verò ex Impm.

Harp. 814

Q. Constit. flammæ exustionibus mancipantur l. 2. C. de fals. monet. P. D. D. artic. 111. Sed quæri posset hoc loco, An falsam monetam, quæ vilissimi valoris, cudens, pœnam d. l. 2. C. de fals. monet. evitet? Nobis eorum placet sententia, qui statuunt talem monetam cudentem pœnam ignis quidem effugere, capitis verò nequaquam. Sed quomodo puniendi sunt, qui monetam bonam propria authoritate percusserint, variè huc illuc agitata quæstio? Siquidem Menoch. & Covar. hoc quoq;

Harp. 819

Q.

casu pœnam ignis inducendam esse arbitrantur, à quibus Diss. Hippol. de Marsil. statuens hosce monetarios, mitiori & quidem arbitrio judicis coërcendos esse. Nos utramq; sententiam rejicimus, eosq; ut læsæ Majestatis reos, nec igne, nec etiam arbitrio judicis, sed capite plectendos asserimus, l. 5. C. ad L. Jul. Majest. Pœna tandem falsi olim ex L. Corneliæ in liberis erat deportatio, bonorumq; publicatio l. 1. §. fin. ff. h. t. in servis ultimum supplicium §. 7. Inst. h. t. sed hodiè ferè arbitraria

Harp. 822

Pœna falsi.

Clar. Menoch. Wesemb. in parat. hîc pro qualitate enim falsi interdum intenditur usq; ad supremum supplicium l. 22. in fin. C. h. t. nonnunquam minuitur, ut ad manus amputationem, ut

videre

videre est ex *Nov. 17. c. 8. in pr.* vel relegationem *l. 13. §. 1. l. 27. l. pen. & ult. h. t.* monetæ tamen adulteratores semper igni tradendos esse supra dicebamus, ut constat ex *l. 1. & 2. C. de fals. monet.* Reichsabschied. de Anno 1559. & *P. D. D. artic. 111. ibi:* Welche falsche Münzen machen / zeigen / oder dieselbe falsche Münzen austauschen / oder sonst zu sich bringen / widerumb gefährlich oder boshaftiglich dem nechsten zum Nachtheil wissentlich ausgeben / die sollen nach Gewonheit aus Satzung der Rechte mit dem Tode vom Leben zum Tode gestrafft werden.

X.

Sequitur in ordine sextum & septimum crimen publicum, vis publica & privata; illam definitio cum Boccr. Andr. Gerard. & aliis, quod sit crimen publicum, quo securitas publica turbatur [a] hanc scilicet privatam, quod sit maleficium publicum, quo quis inermis per vim securitatem privatam violat. [b]

[a] *l. 1. & ult. ff. h. t. §. item. l. Julia. 8. Instit. de pub. jud.* quæ an sine armis quoque committi possit? merito quis dubitaret, cum in definitione vis publicæ plerique Interpp. vocabulum *armis* adhibeant, dum eam definiunt, quod sit crimen publicum, quo securitas publica *armis* turbatur, quod nos affirm. & definitionem eam, ut strictiorem suo definito merito rejicimus *arg. l. 3. in pr. §. 3. 4. l. 7. 8. 10. in pr. & §. 1. ff. h. t. Menoch. 2. in arb. cas. 394. n. 78.* Committitur hoc crimen variis modis & quidem 1, sola armorum detentione, si videlicet quis arma domi suæ coacta habet *l. 1. ff. h. t.* vel cum telo in publico est, vel in concione, palatiis Principum &c. qui ergo saltem portat arma, in hoc crimen incurrit *Nov. 85. c. 1. & d. l. 1. §. 1. ff. h. t.* Excipiuntur tamen Magistratus, eorumque Officiales, milites & hodie etiam Nobiles seu Doctores *l. ult. C. de prepos. sac. cub. Tiraquell. c. 20. de nob. n. 68. & seqq. Menoch. 2. arb. 4. cas. 394. n. 74. & 75.* & multò pluribus hoc delictum committitur, de quibus latè *Harp. ad §. 8. Inst. h. t. Pœna vis publicæ olim erat Pœna vis aquæ & ignis interdictio, postea verò deportatio cum bonorum ademptione l. 10. §. ult. ff. h. t. l. 6. 7. C. eod. §. 8. Inst. de*

Q.
Harp. 826.

D 3

pub.

Pœna vis
privata.

pub. jud. nisi supersint liberi usq; ad tertium gradum Nov. 134.
c. ult. auth. bona damnat. C. de bon. proscript. [b] l. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
ff. ad L. Jul. de vi privat. And. Gerard. decis. 19. q. 9. Hæc vis in-
fertur multipliciter, ut si quis ex naufragio quid dolo malo ra-
puerit l. 1. §. 1. ff. h. t. vel etiam sine judicis autoritate res debito-
ris per vim occupaverit l. pen. §. ult. d. t. l. 13. ff. quod met. caus.
& aliis modis de quib. Harp. d. l. Pœna vis privata est relegatio
l. 6. ff. ad l. Jul. de vi pub. §. priv. & tertiæ partis bonorum amif-
sio l. 1. in pr. l. ult. ff. h. t. Hodiè tamen pœna utriusq; est arbi-
traria, ita ut pro ratione circumstantiarum usque ad mortem
extendi possit l. 7. §. hodie. ff. ad L. Jul. repet. l. 3. C. ex quibus
caus. in fin. l. 11. ff. de pœn. & plerumque ob vim commissam ad
capitis pœnam agi solet P. H. D. artic. 127. & seq. Ex quo ar-
ticulo expressè patet, pœnam esse arbitrariam, quia ad mor-
tem plerumq; extendi innuit, interdum etiam minui pro ratio-
ne causæ & circumstantiarum: verba hæc sunt: So einer in et-
nem Land/ Stadt/ Obrigkeit oder Gebiet gefehrliche/ fürsenliche vnd
boshaftige Auffrühren des gemeinen Volcks wider die Obrigkeit
machtet/ vnd also daß auff ihn erfunden würde/der soll nach Größ vnd
Gelegenheit seiner Mißhandlung/ je zu Zeiten mit Abschlagung sei-
nes Hauptes gestrafft oder mit Ruten gestrichen / oder aus dem
Land / Gegend / Gericht / Flecken oder Gebiet / darinnen er
die Auffrühren erwecket/ verwiesen werden/ dahin Richter vnd Dr-
theiler gebürliches Raths / damit niemands Unrecht geschehe/ vnd
solch bösslich Empörung verhüt/ pflegen sollen. Quam pœnam &
illi sustinere coguntur, qui raptum committunt & virginem,
vel viduam honestè viventem violenter abducunt, ut corrup-
tatur aut corrupta uxoris hoco habeatur l. unic. in pr. C. de rapt.
virg. Et hæc quoq; pœna sibi locum vindicat, etiamsi mulier ra-
ptui consenserit l. unic. §. de pœnis C. de rap. virg. P. H. D. artic.
118. ibi, Unangesehen/ ob die Ehefrau oder Jungfrau ihren Wil-
len darzu gibt. De eo a. valdè rixantur Dd. Numquid mulier et-
iam pœnæ d. l. unic. C. de rapt. virg. subjaceat, si virum rapuerit?
quod Aff. per text. exp. in l. 54. in fin. C. de Episc. & Cler. §. l. un. in
pr. ibi, si quis C. de rapt. virg. ubi gl. §. Angel. qui testatur se vidis-
se Florentinæ quandam meretricem comburi, quæ juvenem-
quen-

Harp. 835. 2

Vilsh. 36

quendam rapuerat & ita nobiscum sentit *Trent. vol. 1. d. 2. th. 1. lit.*
C. Gæd. ad 1. ff. de V. S. n. 53. Diss. Glar. Decian. Damboud. Hænon.
Harp. & alii ab eo allegat. Item de eo hîc quæritur: Utrum præ-
dicta pœnâ l. unic. afficiendus, qui raptam puellam non cogno-
vit? quod N. arg. d. l. un. ubi dicitur raptorem ob eam potissi-
imum causam mortis supplicio damnari, q̄ virginitas per ipsum
femel ablata nunquam restitui possit. Quid v. de eo dicendum
qui meretricem rapuit? Extraordinaria eum pœnâ afficiendum
putamus per text. in d. l. unic. verb. virginum honestarum. arg.
l. 29. C. de adult. l. 53. in pr. ff. de furt.

Q. Harp. 837

Q. Harp. d. l.

XI.

Octavum in criminibus publicis locum obtinet crimen
peculatus, quod ab eo committitur, qui ex reb. sacris, religiosis
vel publicis aliquid aufert & in proprios usus convertit.

§. 9. *Inst. h. t. l. 9. §. Labeo. ff. ad L. Jul. peculatus.* Et sic de-
finitur in genere: Species ejus, cujus vulgò duæ constituuntur, *Species hujus*
sacrilegium videl. & peculatus in specie ita dictus. Illud fieri *jus criminis*
dicitur, quando res sacra vel religiosa, hoc v. quando pecunia
publica auferrur. Publica a. pecunia hîc ea solum habetur, quæ
ad Rempub. sive urbem Rom. vel ad Cæsarem pertinet *l. bona*
civitatis. ff. de V. S. l. 6. §. fin. ff. h. t. Unde igitur firmiter con-
cludimus, non omnem eum, qui cuicumq; civitati vel munici-
pio pecuniam surripuit hoc peculatus, sed potius actione tene-
ri per text. express. *in l. ob pecun. 81. ff. de furt. & sic nobiscum*
sentit *Myns. in §. 9. Inst. h. t. n. 2. Diss. Wes. in par. h. n. 5. Trent. vol.*
2. d. 32. th. 9. lit. E. per l. 4. in fin. ff. h. t. Pœna hujus criminis pro- *Pœna*
pter varietatem specierum non una est & eadem; sacrilegii ete-
nim pœna nova est & extraordinaria & semper capitalis, ut pa-
tet ex *l. 4. §. 2. l. 6. 9. 10. in fin. ff. h. t.* ubi dicitur, quod pro quali-
tate delicti vel vivi exurantur, furcis suspendantur, vel alia capi-
tali pœna afficiantur, cui concordat *P. H. D. artic. 172:* cujus
verba cum eleganter th. nostram declarent, majoris perspicui-
tatis gratia apponimus: So einer eine Monstrans stille/da das H.
Sacrament des Altars innen ist / soll mit dem Fehr von Leben zum
Tod gestrafft werden. Stele aber einer sonst güldene oder silberne
gewichte, Gefäß / anch so einer. umb stelens willen in eine geweihte
Kirche

Harp. 847
Tfurt

Kirch oder Sacristen bricht/ oder mit gefährlichen Zeugen auffsperrt/ diese Diebstäl seyn zum Tod / nach Gelegenheit der Sachen und Naht der Rechtsverstendigen zu straffen. Circa poenam verò peculatus in specie ita dicti personas distinguit *Imp. §. 9. Instit. h. t.* verba istius §. etiam clara sunt; & si quidem iudices, inquit, [vel etiam alii administratores] tempore administrationis, publicas pecunias subtraxerint, capitali animadversione puniuntur (*ex l. unic. C. de crim. pecul.*) & non solum hi, sed etiam qui ministerium eis ad hoc exhibuerint, vel qui subtractus ab hisce scientes susceperint; Alii autem (extranei nimir. vel privati) qui in hanc l. incidunt, poenæ deportationis subjungantur *l. 3. ff. h. t. l. un. C. eod. excepto tamen uno atq; altero casu,* quo poena quadrupli tantummodò puniuntur *l. 6. §. ult. l. pen. ff. h. t. Dis. Treutl. vol. 2. d. 32. th. ult. lit. E.* ubi hoc crimen peculatus in specie ita dictum, non saltem si Magistratus, sed etiam quis alius publicam averterit pecuniã capitale esse asserit.

XII.

Nonum crimen publicum plagium dicitur, quod est servi alieni vel liberi hominis dolosa suppressio, emptio, venditio, permutatio, donatio.

l. 1. 3. 5. 6. ff. ad l. Fab. de plag. Dico per venditionem liberi hominis plagium committi *per l. 1. ff. h. t.* puto regulariter, ab hac enim l. ut regulã, excipitur parens, qui liberos suos propter famem summamq; necessitatem distraxerit *l. 2. C. de par. qui lib.* quod ipsi de jure permittitur; Hinc elegans suboritur quaestio: An mater etiam propter nimiam egestatem aut aliud evidens periculum liberos impunè distrahere possit? Affirmamus cum *Hun. disp. 3. Inst. th. 14. contra Don. Sichard. Schneid.*

Pena. *Coras. Harp. & c. arg. l. 6. ff. de in jus voc.* Poenæ hujus criminis pro modo delicti olim erat pecuniaria *l. fin. ff. h. t. l. 6. C. eod.* postmodum in exilium vel metallum damnatio, aliavè interdum extraordinaria & capitalis *§. ii. Instit. de pub. judic. l. 7. §. ult. C. h. t.* etiam de jure divino, ut patet ex *Exod. c. 21. vers. 17. Deut. 24. vers. 17.*

XIII. Deci-

Decimum crimen est ambitus, quod illi committere dicuntur, qui honores, officia, Magistratus & sacerdotia ambeutes pecuniâ redimunt, cui crimini olim in urbe tantum, hodiè in municipiis etiam locus est. [a] Undecimum crimen est repetundarum, quod eorum est, qui in administratione officii publici pecuniam acceperunt, unde non debebant. [b]

[a] *l. unic. ff. b. t.* Jure Canonico Simonia vocatur *c. 1. & t. de Simon.* de qua in præsentiarum multa tractare nimia festinatio hac vice non permittit, latè tamen de ea re videri poterit. *Damboud. Clar. Decian. & alii* quàm plurimi ab eis allegati. Unicum saltem illud hîc quær. si videlicet Consiliario Principis, officii consequendi gratia, pecunia fuerit data, num pœnæ hujus *l. de ambitu* locus sit, ut tam dans, quàm accipiens puniatur? Affirm. *Harp. & Hænon. disp. Inst. Pœna* hujus delicti de jure civili est multa 100. aureorum cum infamia, quæ ad deportationem pro delicti qualitate extendi potest *l. unic. C. b. tit.* Jure autem Canonico Simoniæ pœna est privatio gradus Ecclesiastici can. si quis *Episc. c. presbyt. q. 1.* excommunicatio *can. reperiuntur. 1. q. 1. depositio & infamia. c. sanè. 15. q. 3. & c. inquisitionis 21. in preced. de acc.* [b] *l. 1. 3. 4. 6. ff. b. t. l. 6. C. eod. Treutl. vol. 2. d. 32. th. 9. lit. A.* Excipiuntur tamen conjunctæ personæ, à quibus in infinitum accipere licet *l. 1. l. 7. §. 1. ff. b. t.* cum non præsumatur eos corrumpendi animo donare, ut inquit Duaren. Dicitur in *l. 6. C. b. t.* in officio publico constitutos nihil penitus præter solarium accipere debere. Unde non absurdè & ineptè dubitare & quærere quis posset de xeniis & esculentis & poculentis, *Was zur Rûch vnd Keller gehört / quæ intra dies proximos consumuntur, als Hûnner vnd Hasen / nicht feiste Ochsen oder esliche ahmen Wein / num & illa Imp. Justin. capi prohibuerit?* Magnus enim profectò de eis inter *Dd.* conflictus; sunt enim qui simpliciter affirm. *Bald. in l. plebiscito ff. de offic. presid. Decian. in tr. crim. lib. 8. c. 35. tit.*

E

quis

Pœna

Harp. 854

Q. P. B. 416.

qui & quib. mod. comm. crim. repet. n. 14. in fin. Coras. ad d. l. plebiscito. n. 5. arg. d. l. 6. ibi nihil penitus. C. b. t. contendentes illa dictione universali negativâ excludi etiam esculenta & poculenta l. hoc genus. ubi gl. ff. de condit. & demonstrat. Deinde etiam arg. l. 6. §. 1. ff. b. t. item Jerem. 33. ibi omni munere: ubi itidem esculenta quoq; manera excludi concludunt, omne enim, inquit, qui dicit, nihil excludit l. Julianus. ff. de legat. 3. l. cum quidam. ff. de usurp. l. comm. ubi. gl. C. mandati. Hisce tamen & similibus non attentis contrariam sententiam amplexi sunt. Alexand. consil. 206. n. 10. Fas. in l. jurisgent. §. præ. ait. n. 2. ff. de pact. Menoch. 2. arb. cas. 517. qui ad contraria à nobis allata fundamenta sufficienter respondet, quorum opinionem nos quoq; hac vice propugnabimus, per text. express. in l. plebiscito. ff. de offic. præsid. l. solent. §. ult. ff. de offic. procons.

Q. Quæstio etiam illa hujus loci est, Utrum iudex si pecuniam non accepit, sed pignus vel cautionem, ut in Syndicatu servaretur indemnis hac lege teneatur? Dist. cum Hæn. disp. ult. Inst. in th. fin. lit. F. Hujus criminis pœna hodiè extraordinaria est, & pro qualitate delicti exilium & duriolem pœnam habet l. 7. §. fin. ff. b. t. l. 38. §. iudices. ff. de pœn. ubi sciendum, interdum etiam tam adversus dantem, quam accipientem in quadruplum agi solere l. 1. & ult. C. b. t. cui v. illud quadruplum, fisco videl. vel actioni vel utriq; simul, fisco & actori applicari debeat, non eadem omnium circumfertur sententia: Nos pœnâ soli agenti applicandam esse statuimus cum Gæd. in l. 12. pr. n. 15. ff. de V. S. Harp. in §. 12. n. 10. Inst. de actionib. R. Sixtin. in tr. de Regal. c. 10. n. 57. Gothof. in l. 25. §. fin. ff. ad SCtum. Sillan.

Pœna.

XIV.

Duodecimum crimen fraudatæ annonæ appellatur, quo is tenetur, qui annonam publicam fraudavit, eamq; arctiorem vel cariorem dolo malo effecit.

l. 1. & 2. ff. ad l. Jul. de annon. quod ipsum Dardanarii plerumq; Pantopolæ & seplasiarii &c. committunt l. 6. ff. de extraord. crim. l. 37. ff. de pœn. sicut & illi quoq; qui aliarum rerum usui quotidiano utilium ac necessariarum nundinationes exercent,

exercent, ipsi carius vendant, die *Borköper* / ut loquuntur Sax.
quorum hodiè magnum admodum numerum in malè institu-
tis Germaniæ nostræ civitatibus reperiri conqueritur *Mynsing.*
in §. fin. Inst. b. t. n. 6. Quod ne fieret, vetustas præfectum an-
nonæ habere solebat, ut *Halicar. scribit lib. 7. antiq. & Julius*
Cæsar duos Ædiles creavit, qui ob id Cereales appellabantur,
ut cibariorum & mensurarum rationem haberent. *Juven. Sat.*
10. Hic igitur non prætereunda elegans illa quaestio, quam
quoq; movet *Harp. b. loco:* Utrum videlicet victualium ven-
dendorum, ut frumenti, panis, carnis, vini &c. certum præ-
tium Magistratus rectè & licitè constituere possit, quod con-
trahentes impunè augere nequeant? Quod rectè affirm. major
pars Dd. *Gomez. 2. resol. 2. n. 51. Schneid. Mynsing. Treutl. & alii*
per text. in l. 1. §. 11. ff. de offic. præfect. urb. l. ult. §. 7. ff. de mu-
ner. & honor. modò pretium illud sit justum dd. ll. verb. justo
pretio & *l. 12. ff. de relig. & sumpt. funer. cum* ne Princeps qui-
dem ex causa etiam publicæ utilitatis alicui rem suam auferre
possit, nisi justum pretium refundat *l. 13. §. 1. C. comm. præd.*
Geil. 2. obs. 56. Ezech. 46. vers. 10. 3. Reg. 24. 4. Reg. 4. vers. 7.
Pœna hujus criminis est arbitraria & extraordinaria, nec sem-
per eadem, nam modò pecuniaria videlicet 20. aureorum *l. 2.*
in fin. ff. b. t. modò etiam relegatio, aut in metallum damna-
tio habito tamen respectu personarum *l. 6. ff. de extraord. crim.*
Damboud. prax. crim. lib. 7. c. 22. n. 8. & seqq.

Q. Harp. 858

Pœna.

XV.

Decimum tertium & ultimum publicorum ju-
diciorum crimen est de residuis, quod est pecuniæ
publicæ, alicui ad usum publicum datæ & attributæ,
retentio, vel ad suos usus conversio, sive in solidum,
sive ex parte.

Ludovic. Gilb. in arbor judic. crim. c. 2. tit. 28. n. 8. Hoc
crimen magnam cognationem & affinitatem habere videtur
cum crimine peculatus; Veruntamen cum illa peculatus lege
non teneantur, quorum periculo & fidei res publicæ sacræve
committuntur *l. 9. §. Labeo. ff. b. t. in quo præcipua eorum*

E 2

diffe-

Pœna.


differentia consistit, ideò ad compescenda Magistratum & aedituorum furta, alia *l. Julia de residuis*. lata est, qua tenetur is, qui pecuniã publicam in usum aliquem delegatam retinuit, neque in eum consumpsit *l. 2. l. 4. §. 4. l. 9. §. fin. ff. h. t.* Item is apud quem ex emptione, locatione, alimentaria ratione ex pecunia, quam accipit, aliavè qua causa, pecunia publica resedit *l. 4. §. ff. h. t.* hoc est, qui eam, quæ apud se est publicis rationibus permansit, non restituit. Item is, qui in tabulis publicis minorem pecuniam, quàm quid venierit aut locaverit, scripserit, aliudvè quid simile commiserit *l. 10. ff. h. tit. &c.* Pœna hujus delicti est, ut eo damnatus propter infamiam, etiam tertia parte ampliùs, quàm debet, mulctetur, id est, ut præter pecuniam, ultra summam videlicet residui, quam debet tertiam partem totiusque Reipubl. solvere cogatur *l. 4. §. 5. ff. ad L. Jul. pecul. Dis. Treutler. vol. 2. disp. 32. thes. ult. lit. G.* Postremò hîc quoque observandum, publica judicia peculatus & de residuis & repetundarum similiter adversus heredes exerceri *l. 20. ff. de accusat. l. ult. ff. h. tit.* quatenus pecuniam respiciunt, ideò enim, inquit, *Papin in d. l. fin.* hoc non immeritò fieri, cum in his quæstio principalis ablatae pecuniæ moveatur. Hîc deniq; sistimus pedem & disputationi nostræ de pub. jud. finem imponimus.

*Ergò quod optatis ad portum venimus austris,
Gratia sit soli debita sola Deo.*

Parerga Politica.

- I. An bellum Christianis gerendum? *dec. 7. 44. 1.*
- II. An in bello locus sit stratagematis? *44. 3.*
- III. An tormentis bellicis uti liceat? *45. 5.*

F I N I S.



ULB Halle
005 132 614

3



W 17







B.I.G.

Farbkarte #13

MUNITIONUM

1618, 24

ULTIMA

26

CIS

IS.

aspice

mplissimi ac Celeber-
sima Salanâ

Etissimo,

SMUNDT,
gapolitano.

suis Nobilissimis,
tilationem &

LLERUS

AXO.

q₃ consuetis.

VMANNI.

VIII,

